

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De syllabi Pii PP. X propositione VIII.
Quid Itali ab Horatio mutuati sint, quidque de eius carminibus censuerint, breviter inquiritur.
In columnam memorialem.
Numismatum collectoribus.
De Leone XIII P. M. Commentarius. — V. Beneventum legatus mittitur. — VI. Perusii moratur. Nuncius apud Belgas renunciatur.
Crux Ruthwelliana.
Colloquia latina. Armorum scholasticorum coemptio.
Paroemiae sive Adagia. Non tam ovum ovo simile. — Zonam perdere. — Ars multa vulpi, ast una echino maxima.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae

selectae. Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Peregrinorum adventus in Urbem. — Pontificiae electiones.
Annales. Pax de Balkanicis composita. — Parvum Italorum in Lybia discriberunt.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Librorum recensio. (C. Assumma).
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romanam.

DE SYLLABI PII PAPAE X propositione VIII

Ex Romanae Ecclesiae historia scimus, Romanorum Pontificum, uti Leo XIII scribit, (1) « hoc caput, sumمامque semper fuisse, assidue vigilare atque omni ope contendere, ne quid integritas Fidei morumque christianorum detrimenti caperet ». Ex experientia scimus rursus, contra integratatem Fidei morumque christianorum nihil perniciosius esse quam *prave scripta* in vulgus disseminata; ob eamque rem Romani Pontifices in id perpetuo studuerunt, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberent.

Nonne, uti monumenta litterarum testantur, Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I, Pelagii; Leo Magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere? Nonne, aetatum decursu, Monothelitarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros sententia apostolicae Sedis confixit? In iure integratatem Fidei morumque christianorum servandi causa, S. Indicis Congregatio, eiusdemque Congregationis vigilantia fundantur.

Recitata breviter Sacrae Congregationis Indicis historia, Modernistarum error a Pio X merito damnatus in Syllabo *Lamentabili sane*, circa eiusdem Congregationis proscriptiones, reprehendetur.

Ab initio Ecclesiae, maiores difficilioresque controversiae ad Sedem Apostolicam propter suam principilitatem deferebantur, Romanique Pontifices, habitu presbyterorum consilio, vel romanis conciliis collectis, omnia per semetipsos dirimebant. Verum, crescente controversiarum rerumque agendarum copia, saeculo XII, coetus Emorum. Cardinalium ipsis Romanis Pontificibus

magni fuit momenti in gubernium Ecclesiae; hinc speciales Cardinalium Commissiones prodiere. Speciales huiusmodi Commissiones progressu temporis, gradatim et lente ad Romanarum Congregationum originem atque constitutionem viam sternunt. Congregationes istae iam a saeculo XVI exstant, et Paulus III S. Officii Congregationem instituit, dum Xystus V ad ecclesiastica negotia solvenda novas quindecim Congregationes condit. Saeculis successivis, Clemens VIII, Gregorius XV, Urbanus VIII, Clemens IX, Pius VII, iam extantibus novas addiderunt Congregationes. Hisce Congregationibus denique, Pius IX, Leo XIII, et Pius X, nonnullas reformationes contulerunt. (1)

Contra libros fidem moresque impugnantes, vel per *Litteras*, vel per *Decretales*, vel per *Sententias* speciales ab initio Romani Pontifices insurrexerunt. Saeculo vero decimo quinto, comperta, scribit Leo XIII, (2) arte nova libraria, magnum, *prave scriptorum malum*, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum.

Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent. Mox graviore exerto turbine, multo vigilantiis ac fortius oportuit malorum haereseon prohibere contagia. Idcirco Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, nec retinere Lutheri libros fas esset. Quum vero perniciosorum librorum im-pura colluvies crevisset, novum remedium Paulus IV adhibuit, dum scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret, elenchum proposuit. Tridentinae Synodi Patres, novo consilio *pravos libros legendi licentiam coercendam curaverunt eorumque iussu Theologi et Praesules Indicem et elenchum Pauli IV au-ßerunt et perpoliverunt, Regulasque tum in editione cum in lectione librorum servandas conscripsere; quibus regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.*

(1) Cfr. *Dictionnaire Apologétique*, fasc. III, pag. 863.

(2) Litt. cit.

Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV iuxta temporum necessitates urgentiores, nonnulla quaedam hisce regulis addere decreverunt, dum Pius IX Indicis *Regulam decimam* magna mitigavit ex parte. Denique septimo kalendas Februarias anno millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, Leo XIII, per Apostolicam constitutionem *Officiorum et Munerum*, Decreta Generalia de *Prohibitione et Censura librorum* edidit.

* * *

Absque dubio S. Congregationis Indicis decreta, quibus aliquorum auctorum libri proseribuntur disciplinaria sunt, atque in *Decreta generalia*, et *particularia* specificari possunt. Generalia dicuntur, si pro Ecclesia universalis fuerint edita, ac formulis: *Urbis et Orbis*, vel in omnibus observanda Ecclesiis expressa; particularia vero, si particulares controversias individuarum personarum dirimant. Palam est generalia decreta vel Romano Pontifice consulto, vel ex speciali eius mandato, aut approbatione publici fieri iuris.

Circa S. Congregationis Indicis decreta generalia, duo inter alios habentur errores. *Primus* est eorum error, qui non verentur asserere, decreta haec, non pro omnibus, sed pro quibusdam catholicis regionibus tantum valere: *secundus*, error Modernistarum, qui «venenatis imbuti penitus doctrinis, omni posthabita modestia animi» docent esse ab omni culpa immunes qui decreta Congregationis Indicis parvi pendent.

Primus error per verba Leonis XIII damnatur, dum in citata Constitutione legimus (1): «Libri ab Apostolica sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodecumque vertantur idioma». Modernistarum error proserbitur:

a) ex auctoritate. — Pius IX (*Epist. Encycl. Quanta Cura* 8 Dec. 1864) (2) scribit: «Atque silentio praetereire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt, illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ad disciplinam spectare declaratur, dummodo Fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura». Leo XIII (3) ait: «Nulli ergo hominum licet hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit in cursurum».

b) Ex motivis theologicis. — Absque dubio membra omnia Ecclesiae Christi ad leges ab eadem Ecclesia latus observandas tenentur, ita ut non sint a culpa immunes catholici eas parvipendentes. Decreta vero S. Congregationis Indicis, quum universalia sint, pro tota Ec-

clesia vim legis obtinent, ideoque a culpa excusari nequeunt qui eadem decreta nihili faciunt. Praeterea, si per *Bullam Clementis XI* «Vineam Domini» (die 16 Iulii 1705) (1) reprehenduntur qui decisionibus S. Sedis tenent esse adhaerendum «tacendo» *silentioque obsequioso*, multo magis reprehensione digni sunt, qui S. Congregationis Indicis nihili faciunt.

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositionem 8^{am} in *Syllabo* «Lamentabili sane exitu» contentam, quae ita sonat: «Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis latas nihili pendunt».

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) Denz., 1317.

QUID ITALI AB HORATIO MUTUATI SINT QUIDQUE DE EIUS CARMINIBUS CENSUERINT BREVITER INQUIRITUR

Operae pretium est, ut mihi videtur, vel per oculum et quadam animi causa interdum inquirere, quid ab optimis et veteribus scriptoribus mutuati sint qui paulo ante renatas litteras floruerint auctores, vel qui inde ab illo, ut ita dicam, instauratio doctae antiquitatis prodigio per saecula manaverint, deus gloriamque optimarum artium studiis daturi. Illud enim iuvat prae oculis habere, quum tanta esset ingeniorum voluntas et quasi certatio sese recta coniungendi cum praestantis simis illis auctoris, quorum vim et mentem et afflatum crederent referre, nulla ope impediri posse quo minus eorum cogitationes, sensa, praecepta, quidquid denique carminibus cecinerint vel prosae orationis luminibus exornaverint, plus minusve suo stilo obumbrarentur. In quo non solum summus erat amor, sed etiam summa laus ponebatur, quippe quum haud dubio sibi decori vertendum esse putarent, quod hereditatem captam strenue tuerentur augerentque. Potest autem fieri ut, facile auctoris cuiusdam arte, vel potius lenociniis, decepti, primis labellis attingentes pro inventionis felicitate et novitate accipiamus quod paulo post, re accuratius perpensa altiusque repetita, ex aliquo vestusto fonte depromptum fateri necesse sit: non idem est verborum nexus, non idem sententiarum apparatus, non idem cogitationum orbis; atqui sub varietate rerum nescio quid latet quod abhinc iam multis saeculis sensum expressumque fuit!

Quae hucusque diximus, penitus et proprie ad vim scriptorum pertinent; sed altera causa est cur haec investigatio sit diligentius promovenda. Nam, si magis magisque in dies vel ab optimis quibusdam viris acerbe in litteras antiquas invehitur, ecquid erit efficacius ad eorum injurias repellendas vituperationesque funditus diruendas, quam aperte ostendere nunquam per saecu-

(1) Tit. II, c. 4, n. 45.

(2) Denz., 1547.

(3) Constit. iam cit. Tit. II, c. 4, in fine.

lorum intervallum Graecitatis atque Latinitatis cultum intermissum esse, nunquam doctae antiquitatis radices, si ita potest dici, siccatas, immo vero ex eo velut vettuso trunko novas gemmas, novas frondes, novos recentesque ramos germinasse?...

Fuere autem ex praestantibus scriptoribus antiquis qui paene diu neglecti iacerent: etiam res litteraria gustatu non caret, et temporibus quoque inserviendum est! At contra nonnullos alios videmus qui magno sunt in honore penes doctos, quique eis multas ex suis cogitationibus iisdem fere verbis suppeditant, ne dicam subiciunt; adeo ut passim invaleat consuetudo sese in eius cognomentum adsciscendi, quem quisque in summis deliciis ac sibi fere propositum exemplar habuerit. Nonne paulo post renatas litteras floruerunt et *Claudiani* et *Lucretiani* et *Ovidiani* et *Vergiliani*, ii scilicet qui unumquemque scriptorem quum sibi proposuerint imitandum, in id unice intenderunt, ut eius stilum, verba, imagines de industria redderent, eiusque scribendi genus tanquam vestem sibi, quantum possent, aptarent? Hinc efficitur, ut saepius et scriptoris veteris sententiae redundantur, et apparatus quoque rei metricae extrinsecus renovetur. Nam, quantum ad melica pertinet, ad illius modi scilicet carmina quae interiores scribentis sensus prae se ferunt, quotquot modos numerosque latina poësis expresserit, instaurare commodum est.

Neque vero conamen hoc illos tantum amplectitur, qui latine, vulgarem sermonem aspernantes, tantummodo scribant; sed etiam large copioseque ab eis quoque adhibetur qui versibus italicis cogitationes commotio-nesque suas committant. Equis enim obivisci poterit magnam olim esse factam ingeniorum contentionem, ut metra, quae barbara advocantur, restituta sint? Quae omnia neminem latent, vel qui summatis italicas litteras attigerit...

At tempus est ad id quod proprius ad argumentum propositum spectat, venire.

Pervolvi, diebus hisce, librum accurate conscriptum, de studiis circa Horatium Flaccum in Italia a saeculo XIII ad XVIII. (1) Egregius eius auctor complura edidit de re litteraria latina specimina critica, in quibus acumen, prudentiam consilii, scientiae pervestigationem ac doctrinam inter se mire connexa admiramus. Liber autem, de quo agimus, harum virtutum testimonium luculentissimum affert. In XVI capita materies distributa est. Pauca praemittuntur in quibus, ut par est, disputatur philologiae esse inquirere quantum vetus ac praestans scriptor ad aliorum scriptorum mores et stilum doctrinamque formanda perpolienda contulerit; quod vere munus, etsi arduum, non caret praecepsit...

Ita videmus, ab ineunte saeculo XIII, quantum in Horatio perlegendio Franciscus Petrarca elaboraverit, quae praecpta ex eius carminibus in suam rem deri-

(1) GAETANO CURCIO. — *Q. Orazio Flacco*, studiato in Italia dal secolo XIII al XVIII. — (Catanae, edid. off. Francisci Battatoi, 1913).

vaverit, quid denique illi debuerit ad suos generosos animi sensus excolendos. (1) Raro Boccaccius in suis operibus eruditis Horatii mentionem facit, ut raro illius meminerunt qui in «*Studio*» florentino, bononiensi, patavino litteras professi sunt, praeter Coluccium Salutati, qui ad suum dicendi genus exornandum haud parum a Venusino sumpsit. Verum, usque ad id tempus, Flacci carmina nullo fere in honore sunt et in pretio. Postea, res mutant in peius: quod si Victorinum e Feltria excipias, qui famam poëtae ab oblivione hominum litteratorum atque a silentio vindicavit, non defuere qui vellet optimae Latinitatis lectio scriptoribus rerum ecclesiasticarum cederet, ita ut si qui latini auctoris versus occurreret, paulo immutatus *ad rem ecclesiasticam* transferretur... (2)

Qui vero humanitatis studia profitentur in «*Studio*» florentino, vergente saeculo XV, inter quos ob ingenii merita primus est recensendus Angelus Poliziano, magna cum diligentia Horatium interpretantur et peropportuna commentaria in eius scripta componunt; quae adeo prae manibus evolvunt, ut Ambrogini illud carmen ad episopum Gentile potuerit exarare, quod merito cum optimis horatianis coniungere fas est: tantum auctor *Miscellaneorum* in veterem poëtam incubuit, ut multa eius in rem suam convertens, nova fere imagine signaverit!

Neque in hac studiorum horatianorum contentione Florentiae urbi cedit Ferraria. Nam si alii alias poëtas imitantur, eadem paene verba conantes reddere, en Ludovicus Areostus qui poëtico furore percitus, exemplo sumpto ab Horatio, in eius morem contextit versus, praesertim qui ad rem amatoriam vel bucolicam vel epicuream pertineant. Vix viginti duos annos natus, inter blanditias voluptatesque aulae versatissimus, quippe quae se decoraret luxuria omni quaque solertia atque deliciis afflueret, ecquid mirum si illa aetate pravis animi contentionibus indulgeret, ac totus pulchritudine incensus beataque vivendi otia contemplans, hos animi sensus in carmina transfunderet? Quod si poëta ferrariensis frequenter Horatii vestigiis insistit, haud raro autem Catullum exprimit effingitque, praesertim in eo quod ad blandula epitheta exornantia attinet. In suis vero satiris bene egregieque vim et spiritum Flacci reddit, idem ingenii acumen sapit, scilicet modice per ridiculum dicendo, eamdem perscrutandi peritiam, eamdem denique artem sententis praecepsisque fabellas festivas hilaresque nectendi.

Neapoli autem, etsi per id tempus Academia ad litteras renovandas ab Antonio Beccadelli instituatur, quae postea, summum decus ac splendorem nacta, *Pontaniana* denominata est, scilicet ab Ioanne Pontano, qui multum

(1) «*Orazio contribui anche, e fortemente, ad alimentare nel carattere di Fr. Petrarca, se non ad infondere, nobili sensi..... il sentimento dell'amicizia e quello della gloria,... Senza Orazio, egli non avrebbe trovato nella poesia latina un poeta formato al sentimento dell'amicizia secondo i dettami ep. curei...*» (Loc. cit.).

(2) GREGORIUS CORRARO, ex. gr., haec inter alia habet: «*Et ego ipse Gentis humanae Pater et Redemptor sumpsi ex carmine Horatii paululum immutatus, ut Christum significantius denotarem. Atque utinam hoc exemplo cetera fecisset!*»

in ea promovenda atque illustranda elaboravit, vix paucos reperias qui Horatium in deliciis habuerint eumque exprimere effingereque nisi sint. Namque praestantes elegantioresque Academici Catullum ac Vergilium paeferunt, eosque in exprimendos omnem operam atque curam impendunt. Haud multo post, sub Pontanianaे auspiciis, academia *Consentina*, velut novum litteratorum collegium, conditur; sed hic horatianum sidus pallidula luce micat: Ianus enim Parrasio, conditor et instructor eius, *Artem Poeticam*, notis additis, explanat, et Antonius Telesio, summi philosophi patruus, quem ipse accurate erudiit, Romae in Gymnasio, haud multa cognitione ac ratione litterarum, legenda explicandaque carmina Horatii suscepit.

In primo dimidio saec. xvi, quum magna lis inter *Ciceronianos Anticiceronianosque* exoritur et artes ingenuae ad cognoscendam antiquitatem se applicant, studia critica in Horatium coepita sunt fieri atque editiones cum scholiis nonnullorum curantur, ut *Aldina*, *Giustina*, *Ascensiana*, quae Italiae fines exceedunt peregreque magno in pretio sunt. Venetiis per idem fere tempus Horatius summo amore excolitur; nam poëma melicum in quo Veneti se exercent, ad normam atque regulam horatianam renovatur; quiique autem latine scribunt, ut Ioannes Cotta, ille scilicet iuvenis doctissimus qui immaturo funere extinctus est, A. Navagerus, Ieronimus Amaltheus M. A. Flaminius, horatianum quidquid sapient.

Non desunt hac aetate conversiones vel carminum, vel epistularum, vel sermonum, imitationesque italicae et latinae, plus minusve liberae. At saeculo insequente Horatii fortuna mutat, et fere dici potest eius sidus ad occasum vergere; vis enim horatianae poësis non recte intelligitur, per allegoriam fit critica, Pindarus adamatur, eoque insulsitatis nonnulli perveniant, ut impune affirmare possint, Horatium unicum apud latinos lyrici carminis lumen foedis moribus poëtice gloriae obscurasse! Verum, ex hoc numero secludendi sunt Io. Chiarbra et F. Testi, qui magnopere adnisi sunt venam quamdam verae poësis in suos versus infundere: tali modo, post dulciculas *Arcadum* nugas canoras, quae litteras lente inquinatas labefactaverant, itala poësis, ad Horatii imitationem se flectens, revirescit ac novis frondibus exornatur. Quum autem non desint qui optimo sane iudicio cum optimis vetustatis exemplaribus se coniungant, en mirificum, ne dicam monstruosum, Loretii Mattei conamen, qui id sibi proponit, in Horatio vertendo, ut poëta venusinus quasi officii magister appareat! Eius enim paraphrasis, sive «*metamorfosi lirica*» ut ipse appellabat, ad id unice intendebat, ut aurum ex luto, e veneno antidotum extraheretur: itaque non modo omnes loci obsceni ad sensus honestos rectosque transferebantur, sed etiam res parum honestas, lasciviae poësis more cohibito, intra moderationis fines includere opportunum fuit!... Hoc iter ingressi, nonnulli alii per interpretationem, seu per paraphrasim, seu per

conversionem immodice quisque suis ipsius ingenii motibus confisi, in ineptias delapsi sunt...

Ineunte saeculo xviii, quum studiorum instauratio quasi vitalis spiritus afflet omnia, et diligenter perpendatur quidquid ad philosophiam, ad iurisprudentiam, ad litteras attineat, et inveteratis erroribus ex consuetudine diiudicandi convictis restituatur ius, resque omnes ad maiora pergant, etiam Horatio arridet fortuna. De eo enim magna cum diligentia ae doctrina Vincentius Gravina disputat in libro qui inscribitur «*Della Ragion Poetica*», in qua eius opera extollit laudibus, dignitatem, vim, virtutem, lumina, momentum maxime commemo- rans. Quod scriptum quantum ad studia promovenda contulerit, acueritque ingenia in critica ratione exercenda, nemo est quin videat. Hinc enim Antonius Volpi, Franciscus Algarotti, Clementinus Vannetti manant, qui in iudicando Horatio sui peracris iudicij significationem luculentissimam fecerunt. Neque multo post, ex Gallia Cisalpina lyricum melos, novis viribus auctum, iucunde sapiens, nobilibus honestisque sensibus perfusum, liberum audaxque progreditur. Tunc itali poëtae sub Horatii signa congregantur, eiusque auctoritatem sequentes, optimis sententiis sua carmina vestiunt: en Salvioli, Parini, Paradisi, Cerretti, Cassoli; denique ille Fantoni, qui merito Horatius Tuscus (*Orazio Toscano*) appellatus fuit.

Eodem modo interpretationis ratio renovatur; nam omnibus interpretibus, quos multos hac aetate habuit Horatius, in animo est quam maxime vim mentemque poëtae reddere. At, si non desunt optimae quaeque interpretationes, ab editionibus contra et commentariis laboratur: illum enim locum quem antea Italia habuerat in editionibus curandis, nunc extera gens habet... Hic est finis Curciano volumini constitutus, quod, utcumque potui, in epitomen coegi.

Interea non displicebit huius Commentarii lectoribus si pauca quaedam addamus.

* * *

Peropportune, ut mea sententia fert, evulgatus liber, quippe iam diu desideratus, multas easque haud parvi momenti notitias, veluti vidimus, praebet. Eo enim duce, penitus in vim italorum carminum inspicere possumus, abditiores sensus ac structuram intellegere, quid proprii sit, quid adventicij diiudicare; adeo ut ex animo liceat vota facere, quam eruditissimam disputationem egregius auctor intra saec. XIII-XVIII. fines incluserit, etiam ad saec. XIX perducat. Verum, quod ipse fatetur, haud leve est onus, propterea quod nimia cum prudentia consilii de illis scilicet scriptoribus disceptandum est, qui adhuc vivunt vel nuper mortui sunt. At id maxime volumus, ut nihil praetereatur eorum quae pro argumento dici possint; nec nos dubitamus quin, bene auspicato, auctor optatis nostris respondeat. Nam eius liber illorum voluminum speciem atque imaginem fere adumbrat, quae abhinc aliquot annos docta Germania pervulgat. Eequem

latet illud opus Zielinski: *Cicero im Wandel d. Jahrhunderte?* Quem fugit doctissimum opus confecisse Stempler a. 1906 in lucem editum, quod inscribitur: *das Fortleben der horazischen Lyrik seit der Renaissance?* In quo auctor, consilium sibi adhibens sane latum atque admirabile, enititur et contendit, ut quid omnes Europaei poëtae ac philosophi ab Horatio sumpserint abhinc renatis litteris, copiose nos edoceat. (1) Neque huiusmodi libri, quamquam intra angustiores fines conclusi, utpote qui nostras tantum litteras amplectantur, apud nos desunt. Ecquis enim ignorat illum sane aureum ac cedro dignum Comparetti librum, cuius inscriptio est: *Virgilio nel Medioevo?* Quem latet diligentissime Ramorinum inquisivisse in famam existimationemque Taciti per saecula vigentem? Cui incognitum est illud eruditio plenum opus Sabbadini de «Ciceronianismo»? Nonne per hosce dies in illo de antiquitate erudita optime sane merito Commentario, qui inscribitur: *La Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica*, Hector Bignone mira sagacitate ac, ut par est, quam eruditissime in Lucretii famam per saecula medii aevi florentem inquirit? (2) At, quantum scio, nondum de diuturnitate horatiani cultus apud Italos de industria inquisitum erat; nondum investigandi fuerat voluntas quidquid Itali ab Horatio essent per saecula mutuati, quidve de eius carminibus censuerint. Hinc merito Curcio gratulamur ob eius egregium opus, quod ut latius et diffusius legatur ac dignam plausus mercedem praestet, ex animo optamus.

Verum, quamvis iam inde a principio se excuset auctor non potuisse totam quaestionem absolvere, utpote quam maxime latam, dolendum est quod ipse, quem de lyricis florentinis eorumque studiis horatianis tractet, nullam Io. Casa mentionem fecerit! Atqui «Galateum» qui scripsit elegantique stilo ac peculiari volumine vitam P. Bembo latine exaravit, summis in deliciis habuit Horatium, eumque in suis latinis carminibus vel nimium imitatus est, adeo ut Carmen de horatiano charactere confecerit, illamque inflatam laudem a Petro Victorio sibi paraverit: «Non enim facere possum quin laudem hanc tuam tangam ac de mirifica vi ingenii tui loquar, quum... in lyrico carmine pangendo cum Horatio certes...».

Hoc argumentum paulo fusius abhinc paucis annis tractavi; (3) iuvat igitur disputationis summam quam brevissime afferre.

Ioannes Casa... plura habet carmina in quibus saepe Horatium imitatur... (lata est ac nullo fere scrupulo

(1) «Es ist kein geringer Genuss, und es ist von nicht geringem Erkenntniswert, ein so erstaunliches, ja man möchte beinahe sagen, einzigartiges, Phänomen wie dieses unablässige Fortwirken und Fortsezugen der Gedanken und der Phantasie des Venusiners über Völker und Zeiten so unmittelbar vor Augen zu haben», (Cfr. Berliner Philologische Wochenschrift, n. 15, 1907).

(2) Cfr. Riv. etc. a. XLI, fasc. 2°, m. Aprili 1913.

(3) Cfr. *De latinis Ioannis Casae carminibus Disputatio*. Memoria letta alla R. Acc. di Napoli da MARCO GALDI. (Napoli, Tip. R. Univ., 1909). — Placet autem hic addere, mihi quoque in animo fixum esse in idem argumentum quod Curcio tractaverit, inquirere: «Forsitan aliquando iuvabit, validioribus armis ad idem argumentum redire, quod nunc vix perstringimus. Tunc facile erit demonstrare de industria quid quantumve homines nostri eruditii, in saeculis quae e litteris renatis proiectisque nomen habent, ex Horatii carminibus hauserint».

sumpta mutuatio): sunt hemistichia quae... inde sumit ac suam in rem convertit, sententiarum paraphrases, plerumque ineptae et nimium artificium redolentes, aliaque id genus quae passim offenduntur...

Exemplo sint:

CASA AD CORN. MUSSUM :

Non marmor Parium, non ebur indicum

Nec quid Lybicis conditum horreis,

Non auri rutilans lamina, clavibus

Asservata tenacibus...

Hor. lib. I od. XXXI :

Non aestuosa grata Calabriae

Armenta, non aurum aut ebur Indicum

Non rura...

(ubi vero simplex aurum pro Casae auri rutilans lamina clavibus asservata tenacibus positum est).

CASA, AD APOLLINEM :

O Iovis magni soboles decusque

Crineque intenso et pharetra superbe,

Aplices aures precibus benignas

Pulcher Apollo.

Lenta per te pampineis racemis

Uva dependens coquitur rubetque

Purpureae certans...

Hor. lib. I, od. 21 :

Intonsum, pueri, dicite Cynthium

.....

Insignemque pharetra.

vel lib. III, od. 11 :

Dic modos, Lyde quibus obstinatas

Applicet aures.

et carm. saec.

Curet et votis puerorum amicas

Applicet aures.

et epod. 2 :

Ut gaudet insitiva decerpens pira

Certantem et uvam purpurae.....

Insuper, hoc autem statui potest, sententiarum colores, imagines vel translationes audacieores, omnia ab Horatio deducta esse. At quam significantior efficaciorque venusinus poëta! Quod hic breviter perstringit et quasi graphicce repraesentat, Casa multis verborum flosculis, comparationibus ornat inducitque! Quod autem spectat ad satiras vel epistulas quas, exiguo licet numero, Casa in otio conscripsit, haud aegre dignoscitur Horatium quoque nonnulla ei mutua dedisse...

Nec longius provehor: si quis plura velit scire, opusculum meum, quod supra memoravi, adeat. Inveniet enim forsitan haud praetermittendum esse illum Ferrariensem poëtam, scilicet *Pignam*, vere lumen urbis

et decus, qui gloriatus est quod sua carmina numeris Horatianis conscripsit:

*Conscripti numeris horatianis
Mea carmina principi dicata.
Hac Flaccum sequor aemulatione.*

(Ad Io. Casam, *carm. lib. I*).

Itaque, forsitan, et Caelii Calcagnini et Lampridii mentio fieri poterat. Qui alter iisdem horatianis numeris « odes graves elegantesque, » ex sententia Iovii, confecit, atque in epistula ad Latinum Iuvenalem haec de Horatio sentiebat:

*.... sed Horatii lumina solum
Tangere si possum, bene mi nunc atque beate est,
Cuius ego illoto non tractem pollice librum;
Sed veneror timidus, semperque exercepo fideli
Quod scribam in mentis tabula..... (1)*

Ex iis quae addidi, quibus et alia quam multa addi possunt, hoc manat, ut iam in principio huius disputationis aiebam, nunquam per saecula XIII-XVIII Horatii cultum intermissum vel labefactum esse, nunquam eius poësis vim, quasi senio confectam ac lenta tabe consumptam, languisse; immo vero multos excitavisse imitatores, qui, lepore et venustate illius sententiarum allicti, numerorum concinnitate, festivitateque quadam et facetiis capti, praesertim in sensibus expromendis artibus suaviterque dicendo delectati, eum ipsius fere vestigiis persequi studerent. Qua in contentione, ne dicam aemulandi cupiditate, quantum de via quisque fessus fuerit, inutile est dictu. Nam nonnulli in hoc tantum morati sunt, ut horatiana quaedam verba transcriberent, hue illuc sententias quasdam exerceperent suisque innectarerent, quasi opus tessellatum, ex variis particulis constans errabundis, varieque tintetur confficientes.....

Utcumque se res habet, doctis pervestigationibus Curcianis gratulemur, nam liber, de quo disputavimus, haud sine magna utilitate ac proventu legitur. (2).

Beneventi, (ex R. Lyceo), Kal. Maii MCMXIII.

M. GALDI.

(1) De Lampridio, Pindari imitatore (possunt haec quoque illis addi quae Curcio in suo volumine de vi atque efficacia poëtae Thebani habet) vide quid Io. MATHAEUS TOSCANUS (*Pepli Italiae*, lib. II) et Io. AURATUS « poëtarum rex » - senserint.

In « *lussibus canoris* » Camilli a S. Hieronymo Urbinate hoc iudicium Horati legitur:

*Flaccus ego, quatuor qui pango carmina libris
Et laudo et doceo et mordeo et amica loquor.
Dum laudo, placit sensus animosque legentum
Dulcibus et numeris, innumerisque modis.
Dum doceo, iucunda fero præcepta Poësi.
Mordeo sed vitium; blandus amica loquor.*

(Rome, MDCLXXII).

(2) Non displicebit claro auctori, si eum nonnulla menda typographica, in librum illapsa admoneamus: *semplità*, (pag. 22); *occorno*, (35); *proluzioni*, (81); *unale [salve ?]*, (113); *ed (et)* (114); *critico-filosofico*, (119); *publicò* [cum alibi sit publicò], (134); *Giov. Costa*, [pro Cotta], (146); *innenellati*, (169); *sauturi*, (169); *un ode*, (170); *prediligeva*, (181); *republiche*, (201); *ingequo*, (203); *ccore*, (ib.); *frase*, [pro frasi], (206); *Aeschines*, [pro Aeschinis], (213); *quantoque*, (223); *misura*, (236); *pieni* [pro pieno], (249); *dubio* [cum alibi sit dubbio]; (271); *tu [pro lui]*, (274); *contrappoi*, [pro contrappo -], (274); *in*, (276); *un'artista*, (282); *publicisti*, (282); *esigono*, (297); *Vatican*, [pro Vaticanol], (307).

IN COLUMNAM MEMORIALEM⁽¹⁾

*Siste, qui callem teris hunc, viator;
siste, nam sanctus locus est, Columna
haec ubi surgit, monitura seros
usque nepotes.*

*Huc trahebatur PIVS obserato
SEPTIMUS curru; nova quem manebant,
vi SAVONENSI graviora, FONTIS
vincla BLIALDI (2)*

*Solis aestivi calor et rotarum
quassa compages iter heic morantur;
heic et, amissis soleis, equorum
claudicat unus.*

*Aeger et fractus salebris viarum,
Pontifex rheda, titubante gressu,
exit et gratam cerasi vetustae
tendit ad umbram.*

*Ut iuvat lassum brevis hora, densis
acta sub ramis! viguere rursus
membra; fulserunt oculi; silenti
reddita vox est.*

*« Ferte — tum dixit Pius, assidendo —
ferte mī lactis cyathum, molestam
qui sitim pellat; cerasique molles
addite baccas ».*

*Proximam currit quis ad officinam,
calceos promptam fabricare manis;
hinc puer prodit, Ganymedis audax
munere fungi.*

*Prodit et mater; latuit sed ambos,
cui propinarent: toga namque nigra
Hospitem celat, niveos amictus
ponere iussum.*

*At Senex, mulcens puerum, « Memento —
inquit — oblati calicis; PIORUM
SEPTIMVS grates tibi, nate, solvit;
accipe nummum.*

(1) Columna memorialis, de qua agitur, eretta fuit apud Gallos in agro Nivernensi (*Nièvre*), prope pagum Tronsanges, eo ipso loco, in quo Pius VII P. M., quum iussu Napoleonis I e custodia Savonensi in urbem Fontainebleau clam raptingue abduceretur, paulisper passus est sub annosa ceraso acquiescere. Quae res configit horis pomeridianis diei xix Iunii a. MDCCXII, radiante sole fervidissimo. Atque eiusdem eventus celebratus est nuper centesimus anniversarius coram frequenti, quae Columnam circumstabat, civium et advenarum corona.

Quidquid autem in carmine minutatim describitur, id omne veritatis historicae apprime consonat, uti currus clave obseratus; officina fabri ferrarii; novus calceus equo aptandus; annosa et umbrosa cerasus; cyathus lactis a puero porrectus; nūnus dono datus a Pontifice huiusque vestis talaris, non candidi, sed nigri coloris, ne ipsius conditio agnosceretur, et cetera porro omnia.

Anno MDCCCLXIII, vetusta periit cerasus, late notissima; in eiusque locum, elapsa vix quadriennio, suffecta est, aere collato, memorialis Columna marmorea, altior ped. XX, cui imminet Crux inaurata, cum Tiara Pontificali et Clavibus Petri decussatis.

(2) Urbs Fontainebleau, vulgo dicta *Fons Bellaqueus*, rectius, iuxta vocis etymon, nominatus *Fons Blialdi*.

«Ille mercedem dabit ampliorem,
cuius est dictum: Mihi contulisti,
quidquid in frates opis erogâris,
frater, egenos». (3)

*Adstupens, sacram puer osculatur
Praesulis dextram; popliteaque flectunt
mater et visus faber ora raptim
tergere fusca.*

*Admovet labris puer hinc numisma,
Clavibus Petri gemiris decorum;
necit et collo, nitidum superbus
ferre monile.*

*Interim crescit iuvenis, vetusque
arbor occumbit; sed ubi Tiara
sederat cinctus, posuere celsâ
fronte Columnam;*

*cuius extremum superat cacumen
alma Crux Iesu; superat Petrina
Clavis, aeternas reserare caeli
callida sedes.*

*Praepotens Caesar! tua te tyrannis
perdidit. Victus patriaque pulsus,
occidis, dirae (novus heu! Prometheus)
incola Rupis.*

*Crux tamen, crebris licet icta telis,
perslat, haud ullo ruitura saeclo.
Discite invictam, populi, vereri;
discite, reges!*

FRANC. XAV. REUSS.

(3) MATTH. XXV, 40.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud Vocem Urbis numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad Doctorem Iosephum Fornari, Commentarii Vox Urbis Moderatorem, Romam, (Via del Governo Vecchio, 96).

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS⁽¹⁾

V. — Beneventum legatus mittitur.

Egregias Ioachimi Peccii virtutes admirabatur Gregorius XVI P. M. qui acerrimum eius ingenium atque prudentiam, occasionem nactus, magno munere statim decoravit. Et unum aptum reputans ad quietem reducendum Beneventi provinciam, sacro tunc principatu adhaerentem, in maxima rerum et animorum concitatione, eo Delegatum mittit. Qui vix provinciam suam attigit, caste, naviter, integre munus sic obit, ut, sui securus, posthabita etiam salute, ab officio nunquam declinet. Vir solers, industrius, maximique consilii, strenuam omnibus operam navat, rebusque civium fidissimus, nihil carius habet quam operibus suis impensis incumbere. Sic autem se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est ut huic omnes honores quo possent publice haberent, suumque civem facere studerent. At in grave subito morbum implicitus, magnis febribus, typho correptus, suos maximo dolore confecit. Namque si paulo ante omnia erant plena laetitiae et gratulationis, nunc omnia luctu miscentur et lacrimis. Omnes ordines, ut diurni morbi acerbitate, quantum in ipsis esset, ei lenire studerent, precibus publicis ac supplicationibus a Deo pristinam valetudinem aegrotanti postulabant. Verum, quum, Deo adiuvante, tandem convaluit, extemplo ad intermissa munera ad vigilans rediit, eaque alacritate, ut omnibus esset admirationi et deliciis, quod macie periculosa adhuc confectus, laboris impatiens, nihil intentatum relinquere quod in suorum commodum reputaret.

Administratio rerum publicarum, prudenti eius auxilio, optimo cuique defertur, agri solertia excoluntur, commercia inter regiones circumpositas proferuntur, aliaque id genus complura invehit, quibus res publica maximis in dies auctibus crevit. Hisce rebus confectis, subitam animorum commutationem videre licuit. Sic inveterata quaedam barbaries, quae adhuc reliqua illuc erat ex omnibus moribus et disciplina penitus fuit deleta. Et praesertim turbulentissima ea aetate erat perversa illa hominum perniciosorum natio, quae per fas et nefas, citra opinionem, omnia commiscere consueverat; per latrociniia, per incendia, per peculatus, terrorem in omnes iniiciebat. Ipse divina veluti virgula excitatus, adeo amor pietatis, moris vindex, restitutor sacrarum disciplinarum habetur, et manu et consilio nefarios corripit, sententiis extirpat. Erant illo tempore longe lateque initae societas arctissimae, corruptaeque hominum sententiae quo impunius liceret. Hinc infinita malorum labes apud illas infelissimas civitates manaverat, hinc dissensionum semina prolata, et bella bellis sata, furore, metu ambitione undique arma subministrantibus. Haec summa eius victoriae. Quascumque enim postea

(1) Cfr. num. sup.

controversias inter se cives haberent, sua sponte, etiam secundo iudicium praelio ad Legatum in ius adibant, ut quam integerrima essent ad pacem omnia. Vir mitissimi ingenii, civibus romano tumultu male habitis sua restituit, urbium moenia disiecta, fanaque diruta refecit, civitatibus leges libertatemque instauravit. Neque id imperite fecit: nam quod ceteri imperio vix potuerint, hic benevolentia tenet. Iamque omnes in se animos ci-vium advocaverat, et duplice de dissidentibus victoriā retulerat, quum, praeter omnium opinionem, vir sapiens, impiger, iustus, magnus aliquando futurus, relieto Benevento, ad Perusinam provinciam procurandammittitur.

VI. — Perusii moratur. - Nuntius apud Belgas renunciatur.

Prosperae hoc tempore tranquillaeque res Romano-rum fluebant, si Spoletinorum seditionem excipias, atque intolerandam coniuratorum licentiam et saevitiam.

Tunc enim in omni fere Italia, sed in primis apud gentes sacro Pontificum principatui obedientes, homines occulto sacramento initiati, tenebricosis latebris erumpabant et adversis populorum studiis adlecti, Italiae principibus insidias struebant. Noster omnia potius tolerare paratus quam impiae factioni cedere, invicta fide, urbes sibi concreditas malorum hominum faucibus eripere, regi suo reddere atque ad pristinam dignitatem revocare. Dies auctoritatis suae enumeravit beneficiis in cives collatis. Namque non tam honoribus titulisque sibi laudem quaesivit, quam consilio et sapientia, quibus fecit, ut populi, qui in sua ditione tenebantur, alias alio more viventes, simul facile coalescerent. Ad haec Gregorius XVI, qui nihil antiquius habebat, quam ut aliquando ipsem Perusium adiret, illuc Ioachim Pecci destinavit, eo potissimum nomine ut universam illam provinciam veteri concordiae ac patientiae mansuetudine ac clementia restitueret.

Incredibile dictu est quam celerrime hanc sibi demandatam provinciam exornavit. Namque primo quoque tempore in sedem honoris sui se contulit, eamque tanta caritate complexus est atque rexit, ut brevi eam ab adversariorum factionibus, quae civitatem miserrime diserpebant, re atque auctoritate nominis vindicaret. Bene animatos cives confirmavit, alienatos ad officium redire coegit: unus et alter fuit qui contumacius se gerere studuerit. Insuper pietas, doctrina, integritas vitae eum bonis omnibus commendabant. Quo factum est ut haud ita multo post Gregorius XVI, universis ordinibus feliciter aclamantibus, in pacatam urbem invehatur. Quin imo ipse vir summi consilii eligitur ut sit Gregorio XVI comes itineris per illam provinciam suscepti, atque sic se gessit, ut ipse Pontifex spectaret accensa in publicum parentem populorum studia.

Memoriae proditum est, Gregorium ad Urbem rever-surum ita ei locutum fuisse: Peregrinantibus nobis per diversa ditionis loca, modo honores tamquam religioso homini allati sunt, omnia quaeque terrena aspernanti;

in nonnullis decore utique ac sumptuose, modo sed Cardinali; Perusii vero atque Anconae regali omnino cultu ac pompa Principi dignissima.

Quamobrem Legatus ingenio et prudentia celebratur, et brevi omnium sermone maxime percrebrescit. Nec im-merito sane. Laboris enim impatiens et rebus publicis pro-spiciens, leges tulerat, ut tum erant tempora, sumptibus minuendis: mensas populares eximia cura fovit; vias negligentia corruptas restituit, alias ob mutua commercia deducendas curavit et ci-vium felicitati penitus prospexit. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Et sic se gerendo minime est mirandum, si ei munus fuit securum et discessio acerba. Dum in tot rebus strenuam operam navat atque tempus adstare videtur quo egregiis operibus editis in posterum edendis carior omnibus pretiosiorque foret, praeter omnium opinionem, Romam vocatur ad Legationem suscipiendam apud Bel-gas. Quod quidem boni aegerrime ferebant, ea potissimum verba laudis repetentes, quae Legato suo Summus Antistes dixerat Perusio profecturus. Namque ad Legatum conversus, civibus omnibus adstantibus, in signum optimae erga eum voluntatis: « Tui, inquit, propediem memor ero! ».

Huc enim, aiebant, erant illa verba evasura, ut brevi nos tanto viro privaret?

Belgica gens, religionis studio atque libertatis praeclarata, patrum memoria, sese in libertatem vindicaverat. Namque diu sub externo dominatu, multis laboribus adflictata, iugi haereticorum tandem pertesa, mirabili ausu adsurrexerat suique iuris atque arbitrii esse co-operat. Attamen regem sibi imponi placuit, qui liberis ipsos ordinibus constitutos iuste ac prudenter adminis-traret.

Leopoldus hic est, qui in magna rerum hominumque concitatione et suapte natura pacis studiosus, quum se integrum a discordiis vellet servare, quae inter popu-lares exardescerent atque optimates, parum abfuit quin in utriusque offensionem incurreret. Optimates enim nil carius habebant, quam Ecclesiae iura cum li-bertate, res olim, pravorum hominum iudicio, disso-ciabiles, mirum in modum adserere. Hac modo causa nuper, armis simul collatis, ab Hollandia recesserant, et res Belgae multis calamitatibus accisae, ad pacem ma-xime hortabantur, eoque tendebant, ut compositis undique animis iisdemque legibus, ad communem felici-tatem progrederentur.

Rex impigro atque acerrimo praeditus ingenio, multo labore, multaque cura in tantam claritudinem brevi pervenit, ut Belgarum gentis vindex et stator sit appellatus. Dolendum modo, quod vir tot meritis probandus, Luteranorum doctrina esset infectus; minus aequo tem-poribus indulgens, in rebus quae ad religionem spec-tant, anicipitem se gerebat, atque adeo in hoc potissimum nec suam nec subditorum prosperitatem fovebat.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

CRUX RUTHVELLIANA

Inter vetusta monumenta lapidea in Scotia reperta nullum spectatius est et insignius, quam Crux ruthvelliana, in provincia gallovesensi sita. Septemdecim est pedes alta, tres lata ad imam, unum ad summam. Anterior et posterior partes in segmenta partiuntur, quae scenis e S. Scriptura mutuatis et figuris implentur, quarum explicaciones latina lingua, at litteris anglosaxoniceis, in marginibus sunt exaratae. Crucis latera ramis tenuibus foliisque ornantur, itemque fructibus, quibus aves et parvae ferae vescuntur. Nusquam autem



Crucis Ruthvellianae segmenta cum inscriptione latina.

erux nodos et lineas intertextas celtico modo antiquiori, nec litteras celticas exhibet; sed praeter margines litteras runicas habet, quae diutissime obstabant laboribus doctorum, qui earum sensum solvere tentarent. Quo vero perspicue magis de re disceptem, in tres partes me eam dividere oportet; quae sunt:

1. Sculpturae.
2. Explicationes latine scriptae.
3. Runae.

Sculpturae in anteriori crucis parte, a summa ad imam, in decem segmenta sunt divisae.

Primo in segmento sunt homo et avis — qui prouidubio Sanctum Ioannem et aquilam, symbolum eius, repreäsentant.

In medio crucis capite et in brachiis transversis sunt tria segmenta [nuper instaurata ornamentis hodiernis, quod haec partes amissae sunt.

- In 5^o segm. — Sagittarius tendit arcum; sed inscriptio hīc omnino desideratur.
- In 6^o — Salutatio Beatae Virginis.
- In 7^o — Maria Magdalena unguit pedes Domini.
- In 8^o — Christus sanat caecum.
- In 9^o — Annuntiatio.
- In 10^o — Crucifixio; Sol et Luna: Beata Maria et S. Ioannes.

Posterior pars etiam in decem segmenta divisa est:

1. — Avis in ramo sedens.



Crucis Ruthvellianae pars, runis illustrata.

(Secundum, tertium, quartum instaurata sunt).

5. — Duae figurae, quarum altera librum tenet.
6. — Ioannes Baptista, Dei Agno sinistra manu habito, in duobus orbibus stat.
7. — Christus cum duabus feris sub pedibus iacentibus.
8. — SS. Paulus et Antonius frangunt panem in deserto.
9. — Fuga in Aegyptum.
10. — Incertae figurae, sculptura valde oblita.

Explicationes in anteriore parte :

Circa segmentum primum saxoniceis litteris uncialibus scripta sunt verba: « In principio erat Verbum ».

Circa septimum segmentum: — « Attulit alabastrum unguenti et stans retrosecus pedes eius lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitum sui tergebat ».

Circa octavum — « Et praeteriens vidi(t)
(hominem caecum)
a natibilitate et sa(navit)
(eum ab infirmitate.) »

(Nota hic *b* pro *v* in verbo « nativitate »).

Circa nonum — « (I)ngressus Ang(elus). »

Explicationes in posteriori parte:

Circa sextum segmentum — « Adoramus ».

Circa septimum — » IHS XPS Iudex aequitatis. Salvatorem mundi bestiae et dracones cognoverunt in deserto. »

Circa octavum — « Scs Paulus et (Antonius eremita) fregerunt panem in deserto ».

Circa decimum — « Maria et Io(sephus) ».

Runae.

De his diu saeviit inter eruditos vera pugna verborum.

Imprimis, Repp ille Islandus, eruditus vir, dissertationem latine scriptam de runis huius crucis evulgavit. Secundum eius interpretationem, runae commemorant donum fontis et terrae cuiusdam apud Ashlafardhal factum a monachis Therfusarum. Post eum Fin Magnussen, vir clarissimus, etiam Islandus, commutationem longam anno 1837 scripsit, qua demonstrare conatus est crucem illam honore nuptiarum cuiusdam nomine Ashlof elatam esse. Itaque toto caelo hi illustres inter se distulerunt. Tandem anno 1840 Ioannes M. Kemble, linguarum septentrionalium peritissimus, librum de runis tractantem evulgavit. Inter alias, interpretationem runarum crucis ruthvelliana dedit, qua demonstravit eas esse partem poematis, anglica-septentrionali lingua antiqua expressi; hocque tanta sagacitate consecutus fuerat, ut Fin Magnussen statim recognosceret Kemble illud problema demum solvisse.

Sed confirmatio Kemblii lectionis miro modo ex Italia advenit. Quidam enim Germanus, Blume nomine, in conventu vercelliano librum vetustum membranum sex poemata anglica-antiqua lingua decimi saeculi continentem invenit. Unum ex his poematis « Sancta Crux—Somnium » vocatum est. Quum hoc, brevi antea vulgatum, vidisset Kemble anno 1842, recognovit magno cum gaudio suam lectionem runarum cruce ruthvelliana eandem esse ac viginti lineas poematis « Sanctae Crucis » codice vercelliano servati, nec plures quam tres litteras sibi esse mutandas.

Crucis runae latine redditae hae sunt:

Crux loquitur

« Cinxit Eum Deus omnipotens
Incessurum ad crucem,
Coram omnibus fortis, serenum,

Nec ausa sum me inclinare,

Divitem Regem extollens

Dominum caelorum,

Niti non ausa sum.

Nos ambos turpiter vituperabant et laeserunt:

Ibi ego crux cooperta sum

Sparso de Illo.

Christus erat in cruce,

Sed velociter de longe

Festinaverunt amici sui

Principi ut ferrent auxilium.

Omnia ibi videns

Acerbis doloribus vexabar.

Eum telis vulneratum,

Membra lassum deposuerunt.

Iuxta caput Eius inanum

Stabant in caelum intuentes ».

Quod ad aetatem crucis attinet, plerique scriptores eam saeculo septimo assignabant secundum auctoritatem illius Stephens, qui in runis plurimum versabatur multumque fecerat ad eas illuminandas. Is in tabula quadam crucem ruthvellianam exhibente vidit aut existimavit se vidiisse seriem runarum quam legit « Caedmon me fecit ». Itaque, Caedmone poeta saeculo septimo vivente, crux ei tempori relata est.

Stephens equidem non is certe erat, qui ita erraret nisi pro edita sua sententia aliquid basis habuisse. Nihilominus, demonstravit Victor ille, hanc inscriptionem in ipsa cruce non extitis: porro ornamenta foliis liberis, floribus, draconibus alatis artem ostendere saeculi non maturioris quam decimi: linguam etiam quae paulo differat ab ea codicis vercelliani idem indicare. Itaque lingua, ars, aliaque eam saeculo decimo referunt.

Sed quaestio nunc oritur, cur haec crux in ea regione exstructa est? Ipsa nihil praebet quo responsum reddatur. Nuper autem, inventum est proelium insigne Brunanburg inter Anglos sub Athelstan rege una ex parte, et Scotos et Danos ex altera, quo Scotti magnam anno 937 cladem acceperunt, prope Ruthvell pugnatum fuisse. Potitus est Athelstan totius Angliae per hanc victoriam quam cecinit poeta, hodie ignotus, cantu saxonis Annalibus servato. Athelstan mortuo, successit regno Eadmund, qui totam Cumberlandiam itemque Ruthvell a se vastatam, tribuit Malcolmo Scotorum regi ea conditione ut in proeliis terra marique commissis adiutor et socius suus esset. Veri simile est igitur, hanc crucem foedus inter hos reges ictum commemorare, nec fore ut locus ipse, presertim Scottis, sine significacione esset. Si hae conjecturae eruditorum verae sunt, alia a King-Hewison ille doctore illustri nuper edita, probabilis valde est. Opinatur enim artificem crucis, aut qui eam faciendam curavit, Sanctum Dunstanum, Abbatem monasterii glastonburgensis, fuisse. Scriptor, poeta, regis Anglorum amicus et consultor, viator, musicus, mystes, artifex lapide metallisque fuit S. Dun-

stanus; quare non sine causa crucem ruthvellianam extrectam et ornatam esse ab illo Sancto illustrissimo putamus.

Edderton in Scotia, mense Martio MCMXIII.

DONALDUS MACRAE.

COLLOQUIA LATINA

ARMORUM SCHOLASTICORUM COEMPTIO. (1)

BERNARDUS. — Scisne, Godefride, ubi nanciscamur instrumenta discipulis necessaria?

GODEFRIDUS. — Ex adverso scholastici aedificii aperta est non ita pridem officina. Bibliopola iuvenis est affabilis, et merces vendit sat commodo pretio.

B. — Duc me ad illum.

G. — Sin aliud vis, eamus. Salve, Francisce.

FRANCISCUS. — Salvus tu quoque sis, domine mi; quid ex usu tuo est me penes?

G. — Apparatum scholasticum desidero huic parvulo.

F. — Habeo omnis generis. Quibusnam opus est tibi rebus? Age, eloquere.

B. — Habes ne chartam venalem?

F. — Habeo, nec eam unius generis.

B. — Profer. Haec est charta tenuis et subhumida: atramentum perfluet. Cedo densam, quamquam neque asperam, neque scabram.

F. — Haecce placet?

B. — Quod huius est chartae pretium?

F. — Vendo in singulos scapos quinque et vinti centesimis.

B. — Plus minus, ut existimo.

F. — Ita ut dixi.

G. — Non tibi opus codice ex charta pura consuto?

B. — Maxime, ad excienda quotidiana scriptiorum argumenta. Videam volumen aliquod ad rem.

F. — Hoc in annum integrum sufficiet, aut plus eo, ut coniicio. Placetne?

B. — Sic satis; appone. Pasceolo nunc indigeo, ad includendas chartas.

F. — Ecce tibi commodissimum, factum corio vitulino nigro, cui oris limbus obit aureus.

B. — Pennae istae quanti sunt venales? Vah! quam sunt molles!

F. — Sunt aliae aliis firmiores. Est tibi optio.

B. — Quot vis dare quinque centesimis?

F. — Quinque dabo, modo promiscue de manu mea accipias.

B. — Malo deligere arbitratu meo.

G. — Delige; sed solves pluris.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE Antuerpiae edito ann. MDCLVII. Passim retractavit I. F.

B. — Mox videbimus. — Age, profer atramenti vascula et thecas calamarias.

G. — Vidi heri apud te nonnulla atramenti vascula cornea, torno affabre facta.

B. — At ego nolo thecam, quae non nisi unicam pennam capiat.

F. — Scio quid quaeras. Vis thecam oblongam et rotundam?

B. — Ipsam volo.

F. — Ecce atramenti capacem et calamorum complurium.

B. — Accumulemus in acervum eumdem: ad extreum una licebor in omnia. Imple hanc la-gunculam vitream atramento.

F. — Id praestat: necesse non habebit puer in dies ad propolam recurrere.

B. — Ades dum, Godefride, num quid mihi desit praeter haec.

G. — Habesne regulam ligneam?

B. — Contra, comparanda est mihi, eoque magis quod curvos plerunque quum versus ducam, a magistro saepe obiurgor. Deinceps plumbo du-cam lineas secundum regulas.

F. — Placet his amplius?

B. — Nihil. Nunc indica merces has una omnes, quam sis daturus minimo.

F. — Quinque francis a me auferes.

B. — Iocone an serio?

F. — Neque obolo minoris.

B. — Numerabo tres francos.

F. — Tantillo tibi non addixerio.

G. — Discrimen pretii dividatur ex aequo.

B. — Tibi decedet medium, mihi accidet.

F. — Quod bene vertat, habeas; per me licet, sed ea spe, ut me crebro revisas.

B. — Age, recense pecuniam et missos nos fac.

F. — Nihil desideratur aut superest. Vis tibi scribam apocham?

B. — Nil opus est: habeo verbis tuis fidem. Precamur tibi felicem vesperum.

F. — Idem vobis vicissim precor.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Non tam ovum ovo simile.

De rebus dicitur indiscretae similitudinis. Cicero (*Acad. quaest.*, lib. II): « Vides ne, ut in proverbio, sit ovorum inter se similitudo ». Narrant autem Deli fuisse complures, salvis rebus illis, qui gallinas alere quaestus causa solerent. Ii, quum ovum inspicerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant: « Neque id est contra nos; nam nobis satis ova internoscere ». — Idem proverbium refertur et a Fabio Quintiliano; usurpatur et a

Seneca in libello, quem in Claudium Imperatorem lusit.

Neque absona sunt ea adagia: Non tam lac lacti simile. — Non tam aqua similis aquae. — Apes apum similes.

Zonam perdere.

Castrense proverbium in eos qui nihil habent nummorum. A Graeca quadam fabula tractum Acron admonet; Porphyron a militum consuetudine, qui, quidquid habent, in zona secum portant. Cuiusmodi sane hominem perquam venuste describit Lucilius, citante Nonio:

*Cui neque iumentum est, nec servus nec comes ullus;
Bulgam et quidquid habet nummorum secum habet omne;
Cum bulga coenat, dormit, lavat: omnis in una
Spes hominis bulga, huic devincta est cetera vita.*

Nam bulgam appellat Lucilius folliculum sive crumenam et saccum de brachio propendentem, ut apud Horatium:

Suspensi laevo tabulas, loculosque lacerto.

Tametsi Festus bulgam Gallicum vocabulum autumat.

Consimili modo Gracchus loquitur apud Gellium: «Quum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli». — Horatius in *Epistolis*: «Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit». — Plautus in *Poenulo*: «Tu, qui zonam non habes, qui in hanc venisti urbem? aut quid quaeris?» In quibus Plauti verbis duplex est allusio, et ad vestem Poenorū more discinctam, et ad pecuniam, quae in zona gestatur, citra quam in urbe sumptuosa non sat commode vivitur. — Pescennius Niger apud Spartanum vetuit, ne milites zonam secum deferrent in bellum, sed, si quid haberent pecuniae, publice commodarent, recepturi post proelium; simul et ipsis voluptatis materiam eripiens et hosti praedam, si quid adversi evenisset. — Est apud Lampridium in *Alexandro*: «Miles non timet, nisi vestitus, calceatus, armatus et habens aliquid in zona».

Ars multa vulpi, ast una echino maxima.

Zenodotus huiusmodi versum ex Archilao citat. Dicitur in astutos et variis consutos dolis; vel potius ubi significabimus, quosdam unica astutia plus efficere, quam alios diversis technis. Nam vulpes multiugis dolis se tuetur adversus venatores, et tamen haud raro capit. Echinus, quem dicunt herinacem esse, (nam hoc loco de terrestri, non de pisce fit mentio), unica dumtaxat arte tutus est adversus canum morsus. Siquidem spinis suis semet involvit in pilae speciem, ut nulla ex parte morsu preendi queat.

Citantur apud eundem Zenodotum huiusmodi quidam versus ex Ione Chio, tragico poeta. Eosdem ex eodem citat in *Sermonibus convivialibus* Athe-

naeus e tragoedia, cui titulus *Phoenicia*, qui latine sonant:

*Leonis artes in solo sane probo;
At magis echini comprobo miseros dolos;
Qui simul odorem belluarum senserit,
Se contrahit spinis operto corpore,
Tutus iacens, morsuque tactuque omnium.*

Refertur proverbium, ac simul ad carmen al ludit Plutarchus in commentario, cui titulus: *Ultra animantia prudentiora, terrestria an marina*. Eius verba sunt latine reddita: «Iamvero terrestrium echinorum in tuenda servandaque incolumente sua sollertia, proverbio locum fecit:

*Ars varia vulpi, ast una echino maxima;
Siquidem cum illa aggreditur, quemadmodum aiunt,
Flexibile spinis corpus obvoleens suis.
Tutus iacet, sic, ut nec ore tangier
Ulla queat ratione, nec morderier.*

Sed omnium copiosissime huius animantis ingenium et astutiam describit Plinius (lib. VIII, cap. 37): «Praeparant - inquit - et herinacei cibos, ac volutati supra iacentia poma, affixa spinis, unum non amplius ore tenentes portant in cavas arbores. Idem mutationem aquilonis in austrum, condentes se in cubile, praesagiunt. Ubi vero sensere venantem, contracto ore, pedibus, ac omni parte, inferiore, qua raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos...».

Ceterum celebre est et piscis echini ingenium, qui «saevitiam maris praesagiens, correptis lapillis operit sese, ut mobilitatem stabiliat pondere, ne nimia volutatione atterat spinas; quod aspicientes nautae, pluribus mox anchoris navigia infraenant». (PLIN., lib. IX, cap. 31).

Vulpem autem versipellem esse, variis instrutam artibus, quum ali⁹ complures apologi, tum ille peculiariter indicat, qui refertur a Plutarcho in *Moralibus*: «Quum aliquando pardus vulpem prae se contemneret, quod ipse pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute. Neque vero paullo satius esse ingenio praeditum esse vafro, quam cute versicolore».

Narratur et alias quidam apogonus, ab hoc proverbio non multum abludens. Quum aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret sibi varias esse technas, adeo ut vel peram haberet dolis refertam; feles autem responderet sibi unicam dumtaxat artem esse, cui fideret, si quid existimat discriminis, inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur; ibi feles in arborem altissimam subsiliit, quum vulpes interim a canum agmine cincta capit. — Innuit fabula, praestabilius esse nonnunquam unicum habere consilium, modo id sit verum et efficax, quam plures dolos consiliaque frivola.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum.

Dubia circa Missae celebrationem in Oratoriis privatis.

I. — An Missa in Oratoriis privatis prohibita sit diebus festis Commemorationis solemnis S. Ioseph, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C. et in festo Patroni cuiusque loci, quum non sint de praeecepto? — *Resp.* Negative.

II. — An prohibita censeatur in festo SSmae. Trinitatis, in Dominica infra Octavam Corporis Christi et in Dominica qua celebratur Nativitas S. Ioannis Baptiste? — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. xi mens. Aprilis MCMXIII).

Ex Congregatione Indicis.

Per deer. d. v mens. Maii MCMXIII damnata proscriptaque et in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera, quae sequuntur:

ANNALES DE PHILOSOPHIE CHRÉTIENNE (*fondées par A. Bonnetty*), *Secrétaire de Rédaction L. Laberthonnière*. — Paris, 1905-1913.

HENRI BRÉMOND, *Sainte Chantal (1572-1641)*. Collection « Les Saints. » — Paris, 1912.

CE QU'ON A FAIT DE L'ÉGLISE. *Étude d'histoire religieuse, avec une supplique à S. S. le Pape Pie X.* — Paris.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa dies in quibus institui potest consecratio Episcoporum.

I. — Quum Evangelistae in re liturgica Apostolis aequiparentur, quaeritur utrum consecratio episcopalis possit fieri diebus natalitiis S. Luciae et S. Marci? — *Resp.* Negative.

II. — Utrum fieri possit in festo S. Barnabae apostoli? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum speciale indultum Summi Pontificis requiratur ad consecrationem episcopalem peragendam diebus festivis infra hebdomadam a) qui adhuc sunt de praeecepto et proinde Dominicis aequiparantur, b) vel etiam qua olim erant de praeecepto, sive in festis suppressis? — *Resp.* Affirmative ad utrumque.

(Ex decr. d. iv mens. Aprilis MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Quum SS. D. N. Pius PP. X nondum satis firmo corpore esset, per integrum fere mensem Maium Purpuratos Patres atque Episcopos ad limina Apostolorum advenientes coram se tantum admisit. Postremis vero eiusdem mensis diebus sive in Consistorii aula, sive in cavaedio magno Vaticinarum aedium, cui a S. Damaso vulgo nomen, peregrinorum manipulis sive ex Italia sive ex exteris gentibus simul congregatis benedixit.

Peregrinorum adventus in Urbem.

Per Maium mensem ad indulgentias Constantini Iubilaei lucrandas, peregrini in Urbem advenerunt ex Friburgensi, Moguntina et Rottemburgensi dioecesibus, ex Hispania, ex Bavaria, ex Gallia, ex Belgica, ex Nordica America et Hispania iterum, ex dioecesi Zagabriensi, ex talis regionibus Subalpina, Tusca, Campana.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per S. Congnis. Consistorialis decreta, SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Metropolitanae ecclesiae Capuanae praefecit r. p. d. Ianuarium Cosenza, hactenus episcopum Casertanum; titulari eccl. archiepiscopali Larissensi sac. Carolum Montagnini, canonicum patriarchalis basilicae Laieranensis et delegatum apostolicum ia republica Columbiana; cathedrali eccl. Corporis Christi sac. Paulum Nussbaum, consultorem Congregationis a Passione D. N. I. C. in provincia Baltimoresi; cath. eccl. Calgariensi sac. Ioannem Thomam Mc Nally, parochum in archidioecesi Ottaviensi; metropolit. eccl. Calaritanae sac. Franciscum Rossi, dioecesis Patavinae, vicarium generalem archidioecesis Perusinae; cath. eccl. Imolensi r. p. Paulum a Cortona, in saeculo Ioannem Tribbioli, Ord. Min. Capulatorum, secretarium generale Curiae generalitiae eiusdem Ordinis.

Brevi autem apostolico r. p. Ludovicus a Mazzano, in saeculo Ioannes Baptista Antonelli, Ord. Fr. Min. unionis Leoniane, episcopus tit. eccl. Leptimagnensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Lybiae nominatus est.

— R. p. Gaudentius Barlassina ex Instituto Taurinensi a Virgine Consolata pro missionibus ad exteris gentes, Praefectus Apostolicus de Kaffa meridionali dictus est.

— R. p. d. Carolus Pietropaoli, episcopus Triventinus, legatus apostolicus mittitur in civitatem Venezuelanam.

ANNALES

Pax de Balkanicis composita.

Die trigesima elapsi mensis Maii Londini foedus tandem subscriptum est, quod bello per menses septem et ultra acto finem imponens, hac de causa praesertim memorabile in historia evadet, quia scilicet finem diuturnae Turcarum dominationis in Europa Christianarumque gentium redemptionem a Mahometano iugo significabit. Quamquam eventus eo quem deceret animi ardore consalutari in Europa minime potest, quum internationalium rerum status sit tamen plenus difficultatum, munusque Europaearum nationum, quae eventum ipsum compararunt, tamquam onus maxime arduum etiam nunc praebeatur.

Re quidem vera orationes, in Londinensi ipso conventu post pacem confirmatam a Montisnigri et Serbiae legatis habitae, in mentem revocant hasce civitates, non aliter atque Graecam, foederi illi invito animo accessisse, dum quae adhuc definienda supersunt - et novi Albanorum regni fines et iura, atque Aegearum insularum addictio - ea sunt, quae valde sollicitum cordatum quemque virum necessario reddant.

Adde, et Bulgarorum tum cum Serbis, tum cum Graecis dissensiones, alias alium accusans foederis pactiones ante bellum initas fregisse, et Albanicae regionis internas condiciones. Si enim Essad ille pacha arroganti regni ambitione se abdicare visus est, ita ut recessum Montisnigri copiarum a Scodra urbe et eiusdem occupationem classiariis maximarum Europae nationum expeditiorem reddiderit, nunc se exteri regis dominatui minime obsequutum praedicat, civesque iam aliis discordiis agitatos ad seditionem provocat ac praemolitur. Faxit igitur Deus ne pax tamdiu tantisque curis quae sitam scriptis unis maneat!

Parvum Italorum in Lybia discrimen.

Italorum in Lybia felix progressus ad brevem stationem in Cyrenaica coactus est, Arabum proditione, qui Italorum agmen quoddam in insidias traxerunt, eique, quamquam cum magna suorum clade, iacturam fecerunt. Quod gravius est, inter hostes morti ab Italis traditos, nonnulli militum praefecti reperti sunt militaribus Turcarum vestibus induiti; ex quo facile coniici licet, Turcas promissis in foedere cum Italis inito haud integre stetisse, indeque fore ut Italia Aegei maris insulas, quas occupavit ac veluti datae fidei pignus post pacem retinuit, ad longum tempus adhuc iure sibi possit obtinere.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In Anglia rogatio legis de iure suffragii mulieribus quoque concedendo reiecta.

In Argentina et Brasiliensi republica praesidis litteris ad populi legatos, optimum tum in civitate tum cum exteris nationum rerum statum confirmantibus, publici coetus sessiones resumptae.

In Austria de internationalibus, Balkanicis praesertim, negotiis acriter disceptatum.

In Belgica leges de militiae constitutione innovanda, a socialistarum factione maxime oppugnatae, ratae tamen habitae.

In Borussia nova comitia ad Iunium mensem indicta.

In Dania quum nova comitia socialistarum atque «radicalium» factionibus favorabilia cessissent, administratorum collegium cum Berntsen praeside munus abdicavit, in eiusque locum aliud suffectum, cui Zahle praeeest.

In Gallia militares reformationes apud populi legatos agitantur.

In Hispania ob vehementem Maura legati in administratorum collegium eiusque gubernandi proposita orationem, administri omnes munus suum dimiserunt.

In Italia, rationibus acceptorum et expensarum

in examen revocatis, nova lex de militum delectu approbata.

In Russia leges omnes Imperii ad Finlandiam provinciam, frustra privilegia sua obtestantem, prolatae.



PER ORBEM

Die III mens. Maii MCMXIII Bruxellis nosocomium S. Ioannis incendio pessum datur. Aegri tamen sospites omnes auferri possunt.

— die IV Romae monumentum Ioachim Belli, generis Romanae linguae poetae principi, in vico trans Tiberim, ubi cives maxime eumdem sermonem adhuc loquuntur, sollemni ritu dicatur.

— d. V Mannheim in urbe Magnus Badensis Dux ab insano quodam homine nefarie, at, Deo iuvante, frustra petitur.

— d. VII atra procella Graeciae litoribus, ad Athenas praesertim, ingentia damna apportat.

— d. VIII Alfonsus XIII, Hispanorum rex, Lutetiam Parisiorum pervenit, novum Gallicae reipublicae praesidem salutaturus.

— d. IX, Scodrae, tabernarum duo millia, in rerum venalium foro, fortuito igni absumuntur.

— d. XII inter Drama et Buk oppida ad Thessalonicam curruum series vapore actorum militibus onustorum, in alteram pariter militibus affluentem occurrit. Mortui centum ac vulneribus affecti trecenti et ultra lugentur.

— d. XIII Manila ex urbe nunciant *typhonem* iam duobus diebus furere, quo nullum vehementius ac perniciosius multis abhinc annis flavisset.

— d. XVIII Perczel, populi legatus, iam Rumanici publici coetus legibus ferendis praeses, quondam etiam civilium negotiorum administer, Bucarestini obit.

— d. XXI catacombe ad decimum viae Latinae lapidem nuper repertae magna tum Romanorum tum Latii civium frequentia inauguraruntur.

— d. XXIII in civitate Rutenorum (Rodez), Aureliani, Toulii, Bafordiae aliquis in oppidis Galliae, milites ex condicto seditionem tentant, quae tamen cito coercetur.

— d. XXIV sollemni pompa, adstantibus Russorum Caesare Anglorumque rege, Berolini nuptiae celebrantur inter Victoriam Aloisiam, Germanici Imperatoris filiam, et Hernestum Augustum Principem ex ducali genere de Cumberland, Brunswickii throni heredem.

— d. XXV Alafridus Régnier, Gronau Comes, vir musicae artis valde peritus, Lutetiae Parisiorum vita fungitur.

— d. XXVI Gandavi in artium ostensione recens dicata, tentoria gentis Indù flamarum praeda fiunt.

— d. XXIX Petropoli dum tormenti cuiusdam bellici experimenta fiunt, ex eius disruptione classiariorum alter a centurione misere occidit, aliquie nautici milites graviter sauciantur.

— d. XXX Augustae Taurinorum decedit Arturus Graf, illius athenaei doctor litterarum Italicarum; in quibus, nec minus in sermonibus neo-latinis, tam singulari peritia pollebat, ut eius fama Italiae fines iure meritoque fuerit praetergressa. Natus erat Athenis d. XIX mens. Ianuarii MDCCXLVIII.

LIBRORUM RECENSIO

CHRISTOPHORI M. ASSUMMA, Eccl. metrol. Reginensis Can. Dec. *Carmina* (Rhegii Iulii, MCMXIII).

Carmina haec latina, viginti quatuor numero, edita a fratre auctoris Antonio, praemissa laudat epistola Archiepiscopi Reginensis, et Canonici Francisci Quattrone proloquium, in quo dotes poëtae egregie illustrantur.

Et iure quidem urbs Rhegium, suo superba cive Didaco Vitrioli, inter recentiores vates latinos celebrissimo, Christophorum quoque nostrum colit, qui totus fuit in imitandis hendecasyllabis Catullianis. Stilus eius, facilis una et castigatus, elegantem prae se fert simplicitatem cum sermonis puritate coniunctam.

Ipsius poëmatia, brevia licet nec adeo multa, tot florculos dicas e solo Latii sponte enatos. Argumenta plerumque sacra tangit auctor; cuius ut scribendi ratio pateat, satis erit si hic paucos afferamus versus, qui de Ioanne Berchmans agunt, Aloisii Gonzagae sanctitatem aemulante:

*Casti Loisidis videt puellus,
Belgis ortus, imaginem in tabella
pictam: tum rapitur simul puellus
intra lilia candidusque vivit;
almae Virginis ardet usque flammā;
flammā Virginis aestuans, ad astra
integer volat ut nitens columba.*

FRANC. X. REUSS.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Frustula solutae orationis latinae. Scripsit IOHANNES BELLISSIMA, Professor litterarum latinarum et græcarum in lyceo senensi. — Senae Iuliae, ex off. L. Lazzerii, MCMXIII.

Inscriptionum latinarum corpusculum tertium. Confecit IOHANNES BELLISSIMA. — Indidem.

Les cloches par DOM. I. BAUDOT. — Parisiis edid. Bloud et Soc. (Veni lib. 0,60).

Henri Heine par PIERRE GAUTIER. — Indidem. (Veni lib. 2,50).

I Fioretti. Appendices: Considérations sur les stigmates. — *Vie de Frère Junipère.* — *Vie et dits de Frère Egide.* Traduction et notes d'ARNOLD GOFFIN. — Indidem. (Veni. lib. 1,20).

A. I. MILLOT, Vicario Generale di Versailles. *Che cosa contiene un'Ostia.* Trattenimenti e discorsi sulla SSma. Eucaristia per i fanciulli che si preparano alla S. Comunione. — Traduzione dal francese. — Romae, edid. Desclée et Soc., MCMXIII.

P. CALLISTO DELLA PROVVIDENZA. *Vita della Ven. Anna Maria Taigi,* Terziaria della SS. Trinità, presentata ai lettori italiani da Pietro Vigo. — Indidem. (Veni. lib. 4)

FERD. EHRENBORG d. C. d. G. *Un seminarista modello dei nostri giorni.* — Indidem. (Veni. lib. 2,50).

M. S. GILLET. *L'educazione della purezza.* (Metodo scientifico — Metodo del silenzio — Metodo del buon senso — Ignoranza e innocenza di domani — Programma dell'Educazione della Purezza). — Traduzione dal francese. — Indidem. (Veni. lib. 1,75).

AENIGMATA

I.

Formosae palmae en vestris me motibus aptum;
Me tamen explicitum sedula dextra regat.
Lenibus expositum ventis, validoque calor
Ossa premunt: corpus pellis odora facit.
Si ferrum eripitur plantis imbellis et aegrae,
Tunc erit ablato libera planta stylo;
Non ultro utroque manu gestabor ab illa,
Auxilium subito, quae mihi ferre solet.
Frigus amo aestivum, brumae mihi frigora sordent:
Aestas me pellit limine; bruma tenet.
Si eaperata mihi facies vel vultus anilis,
Non sedet in vultu ruga vetusta meo.
Ut crescam, oblique medio dilator in orbe;
Explicor aestivo quum calet igne Polus.
Exiguus labor inde meus, sed dextra laborat
Alterius; vivax sic sedet aura genis.

II.

Ingredior campos, flavos ubi pellicit aetas
Ad pastum; utilitas est mihi nulla tamen.
Herbosos agros, quos aere perambulo curvo,
Non premit armentum, detur ut esca sibi.
Instar avis, quae multa rapit, flarentibus escis
Attrahor instructis, quas seco dente meo.
Ut cereris gazas comedendi vota secundem,
Una meis votis est; sat in ore mola.
Dura rotunda silex, quae stillat mollibus undis
Dat labio vires irrequieta meo.
Subtili undarum lapsu, quo planta madescit,
Vis mea fit maior; germen acuta secat.
Immerito eructant moerentis voce querelas,
Qui sibi sollicito pectore saepe nocent.
Quod pastum appositum rapiam non iure queruntur;
Plura illis restant quando ego plura voro.

A. EPIRO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. XVI, n. III proposita his respondent:

I) Epistola;

II) Sus.

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peltenburg, Soeterwonde apud Lugdunum Batavorum. — Athan. Hepp, Sancti Leonis Abbas in Florida. — Diomedes Falva, Constantia. — Lad. Thyssen, Dresda. — F. Arnori, Mediolano. — Alois. Geyer, Ratisbona. — Arch. Magliano, Genua. — Fr. Xav. Ghion. Ostunio — F. X. M., Drepano. — Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, Dumio — Iac. Gomez, Caesaraugusta — Rich. Brondel, Brugis. — Lud. Goux, Bituricis. — Iac. Menendez. Madriq. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — E. Burg, Monaciò. — Rich. Muller, Berolino. — B. Ferraris, Augusta Taurin. — Lud. Dubois, Massilia. — Raim. Silvan, Londino. — Frid. Horwath, Vindobona. — F. Wawer, Marianopoli. — Georg. Archambeault, Quebeco. — I. Ciolfi, Papia. — Claudius Lucensis. — I. Ortiz, Morelia.

Sortitus est praemium:

DIOMEDES FALVA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

EUPLIUS

Actio dramatica I. B. FRANCESIA in tres actus distributa.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

9)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

I. MILES.

Velint quid haec dicere sibi optime nescio.

II. MILES (*tangens marsupium*).

Hoc autem nescis, stulte?

I. MILES.

Hoc nempe intelligo!

Et caeci intelligunt apprime hanc scientiam.

II. MILES.

Dabis sed auri, fureifer, dimidium?

I. MILES.

Dabo!

II. MILES.

Sed ostium flagitium edidit.

Quid est?

I. MILES.

Silentium!

II. MILES.

Quod infortunium!

I. MILES.

Quid est?

II. MILES.

Adest, ni fallor, sacerdos et centurio.

(Milites recessunt ad carceris ostium).

SCENA II.

MUTIUS et CENTURIO.

MUTIUS.

Me subsequuntur nunc captivi plurimi

Christiani trusi recens in carcerem.

Hi vigilantia teneantur maxima:

Sic fert voluntas durior Maxentii.

I. MILES.

Mitte, sis, nugas!

II. MILES.

Gerrae!

I. MILES.

Signum rumpito!

II. MILES (*legit*).« Deus eras mittet redemptionem populo,
Erunt et omnes concaptivi liberi! »

CENTURIO.

Sunt sacrificii recentes victimae!

MUTIUS.

Romae nascatur timet ne seditio,

Enim patritii pueri sunt obsides.

Sperat sic fidem servaturos optime.

CENTURIO.

Divus si vincit strenuus Maxentius,
Erunt devoti barbarae cuncti neci.

MUTIUS.

Sed Constantinus?

CENTURIO.

Magnis itineribus

Ad Urbem tendit!

MUTIUS.

Vincimus nos numero;

Ei sunt pauci milites!

CENTURIO.

Victoriam

Dii nobis dabunt! Propinquos sentio
Captivos, ire me nunc decet maxime (*exit*).

SCENA III.

Introgrediuntur pueri captivi. CENTURIO qui resedit penes ostium quasi esset reversurus, tacitus eos observat, deinde exit. — DUO MILITES recessunt ad ultimam partem theatri.

CAPTIVI.

1. — Heic sumus Christi nos captivi nomine
Diebus multis, et obscuris latebris.

Quis scit quod fatum detur nobis proxime?

2. — Deus det nobis cordis fortitudinem!

3. — Modo videntur longa tibi tempora;
Heri te milites duxerunt in carcerem...Miser! Quid dices, plures me hebdomadas
Ab ulnis matris detulere barbari!2. — Heic sum plurimas passus angustias,
Et tamen sustuli, somnum, sitim, verbera,
Sed omne pertuli citra fastidium,
Erat Deus praesens superna gratia.*(Ad proximum numerum).*

I. B. FRANCESIA.